

Somni adumbratio physiologica et pathologica : dissertatio inauguralis medica ... / auctor Guilelmus Adolph. Gottel.

Contributors

Gottell, Wilhelm Adolph.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Form. Theophili Brüschcke, 1819.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/veuwmhgd>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

89.

S O M N I
ADUMBRATIO PHYSIOLO-
GICA ET PATHOLOGICA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

Q U A M
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS CONSENSU
ET AUCTORITATE

IN
UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXI M. AUGUSTI. A. MDCCCXIX.

PUBLICICE DEFENDET
A U C T O R
GUILELMUS ADOLPH. GOTTEL
STOLPENSIS - POMMERANUS.

H. L. Q. S.

BEROLINI.
FORMIS THEOPHILI BRÜSCHKE.

ADUMBRATIO PHYSIOLOGICA ET PATHOLOGICA

DISSECTATIO

ANATOMICA

DE

ORIGINE ET PROPRIETATIBUS
ET AUCTORITATE

IN

REPUBLICA LITVANA

ET

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIS

ANNO DOMINI MDCCCXXII

DIE XXI. AUGUSTI A. MDCCCXXII.

HAEC DISSECTATIO

AUCTOR

CAROLUS ADOLFUS GOTTFR.

STOLBERGII - POMMERANIUS.

H. L. G. S.

BEROLINI.

FORMIS THEOPHILI FRISCHKE

V I R O

ILLUSTRI EXPERIENTISSIMO

E T

ARTIS MEDICAE SCIENTIA CELEBERRIMO

ED. FERD. GEISELER

MEDICINAE UTRIVSQUE DOCTORI MEDICO

PRACTICO GEDANENSI POTENTISSIMO

BORUSSORUM REGI A CONSILIIS RE-

RUM MEDICARUM INTIMIS

MAXIMA QUA PAR EST REVERENTIA PIAQUE
MENTE

HASCE PAGELLAS OFFERT

AUCTOR.

Prooemium.

Cum nova quaedam in medicina experientiae experts in medium proferre nec possim neque ausus sim, hocce opusculum, more maiorum, pro summis in medicina honoribus rite impetrandis, a me conscriptum, lecturis trado, ac vehementer opto, ut benigne indulgenterque pauca quae offero accipiantur. Primum auctor scripta quaedam in lucem emittere coactus, hisce pagellis somni Physiologiam nec non Pathologiam breviter adumbravi, speroque fore, ut operam saltem quam iis navavi, commilitones benevoli agnoscant.

Introductio.

Statu hominis sano vigilia et somnus vicissitudinem ineunt ordinatam, sic ut vigilia somni, et somnus vigiliae causam offerre videatur. Vigilia ille quidem est hominis status, quo sensibilitas, functiones animales, motusque musculares inter reliquas corporis functiones actione eminent; somnus vero, quo

functiones naturales, systema reproductivum quod dicitur, sensibilitatem actionis vi longe antecedunt, adeo ut in cerebro omnibusque nervis vis vitalis quasi intermissa videatur atque sopita, eorumque actiones oculis se subducant. Quae vigiliae somnique vices quodam circuitu apparent, sic ut statu sano, homine per diem vigilante laboribusque incumbente, ad noctem usque sensibilitas aliquo modo consumpta nervorumque vires remissae, recreandi spem a sano quaerant somno. Quam nervorum vim et incitabilitatem per labores diurnos deperditam et alienatam somnus placidus noctu restituit, atque ad eum vigoris pristini gradum evehit, quo eos valide agere opus est. Noctem solam neque diem somno sanissimo a natura omnino constitutam esse, tenebrae nocturae illarum viciū causa sufficiens, clarissime ostendunt. Lux ipsa non modo in totum regnum vegetabile, sed etiam minori effectū in animalia, hominemque igitur maxime valet; homo enim e. g. diu in carcere luce carens, infirmus, pallidus, lividus, laxis fieri visus est, totumque eius corpus validam musculorum irritabilitatem, turgoremque vitalem sanis corporibus praecipueque iuvenilibus proprium amisit. Plantas vero semper lucem requirere eaque tantum fovēte bene crescere atque florere, satis cognitum est. Planta luce non fruens chlorotica fit, partesque resinosas, oleum aethereum, et aliquam Carbonii partem, neque minus Amarum suum et Acre deperdit, omninoque imbecillima redditur; porro magis in altum crescit, quare etiam arbores sylvam in margine circumdantes, multo firmiores sunt iis, quae media in sylva cres-

cunt. Lux igitur in altum crescendi nisum minuere, et plantas omnino firmiores reddere, earumque succos magis in unum contrahere atque condensare videtur. Sole occidente florum calyces clauduntur, quasique somno collapsi omneque vivum corpus quieti somnoque se tradit, ut nova luce viribus integris novaque pulchritudine vigeat.

Quae omnia lucis vim in totam naturam, nec non in hasce vigiliae somnique vices, clare ostendunt. Ceterum vero magnis in civitatibus scilicet, ubi vita semper ab ea, quam homini natura praescripsit viam, longe discedit, sunt qui noctem die atque hunc illa commutant, sine quodam valetudinis secundae damno; quae vero lex adsuetudinis naturae legem evertere non potest. Statu igitur homini sano vires corporis actionibus confectae, in adultis, quibus sensibilitas eminet, breviori tempore sex scilicet vel octo horis, in infantibus autem, in quibus vis reproductiva ceteras praestat corporis functiones, horis decem vel duodecim somni restituuntur, in his reproductione, quae tantum somno optime procedit, longius recreandi tempus sibi exigente. Vi nervorum sensim sensimque recreata, homo sponte vel levibus quibusdam incitamentis expergiscitur, atque ad mentis constantiam, somniis animique imaginibus plerumque praeterlapsis, mox pervenit. Tota natura omnia ad certum periodicumque decursum exhibet, proinde talis hominem quoque decursus coërcet. Interdiu igitur systematis nervosi actiones continuae eiusdem incitabilitatem adeo remittunt, ut ad noctem somni cupiditas maxima sit. Quibus vigiliae somnique vicibus omnia

in natura obediunt, neque ipse quidem homo, omnium animalium primus, et ceteris intelligentia iudicioque, nec non arbitrio sano praevalens, ita sui est potens, ut per longius temporis spatium, somnum a se prohibeat; neque non sunt exempla, quibus milites post maximos labores multaque pervigilia in ipso proelii tumultu strepituque tandem obdormivisse traduntur.

In morbis haec vices neque regulares nec, ut plerumque in sanitatis statu, certae adsunt. Aegroti scilicet interdum nimie ac fere semper in somno profundo versantur, sique hoc symptoma perspicuum, status soporosis nominatur; interdum autem nil nisi brevissimum tempus neque placide dormiunt, seu continuis cruciantur pervigiliis, et hic morbi status omnino Agrypniam pathologice sic dictam exhibet. Uterque horum status, de quibus infra disseram, plus minus in omnibus morbis malus est; somno enim tantummodo crisis morbi plane perfici potest, aegrique eo carentis vires collabuntur nimisque consumuntur, nec non sensibilitas valde adaucta nullam morbi resolutionem quacunque via criticam permittit. Illas somni vigiliaeque vices in morbis perturbatas et mutatas esse, corpus morbi causis alienatum et commutatum declarare videtur. Cum morbi decremento eiusque causis remotis status illi soporosi neque minus pervigilia desinunt, et mox plerumque cum aegri convalescentia vigilia somnusque vices regulares exhibere incipiunt.

Quibus praemissis iam pauca quaedam de somni physiologia, et deinde de eiusdem pathologia breviter disseram.

I. Somni Physiologia.

In somno actiones reproductivae sensibilitatis actiones superant; omnes systematis sensibilis facultates remissae atque exhaustae, quasique collapsae esse videntur, et nil nisi actio reproductionis somno adaucta, cerebri omniumque nervorum vim consumptam restaurare potest. Quae symptomatibus homine dormiente observandis, probantur.

Intelligentia enim et mentis constantia sublatae, motusque musculares quasi praepediti somno esse videntur, neque homo in eo sui conscius aliquid perficere potest. Animi functiones plane quiete frui videntur, quamvis aliquo modo, e. g. in somniis continuo agant; omnino autem sensibilitas recedit, ubi nimis praecessit reproductio, quam naturae legem non solum animalium diversa genera, sed etiam hominum variae species, ipsa iam eorum aetas diversa, quomodo scilicet sensibilitas et reproductio in aetate infantili, puerili, iuvenili, virili atque senili invicem se habent, clarissime ostendunt. Ea causa post coenam dormiendi cupiditas animadvertitur, quia reproductionis actio, qua utitur ad cibos assimilandos, tunc systematis sensibilis actionem longe superat; ita ut homo statim post coenam meditationibus aliisque laboribus tam diligenter alacriterque quam ante meridiem sive assimilatione perfecta, plerumque saltem incumbere nequeat. Si quis tamen tempore vel digestionis vel somno praescripto, animi labores atque meditationes saepissime exerceret, mox digestio saepius neglecta et pervigilium cum lucubratione totius

corporis nutritionem ita deprimerent, ut eius incrementum atque reproductio nullo modo procederent.

Porro omnes irritabilitatis actiones somno melius procedunt, pulsu scilicet quidem tardiori, sed pleniori atque fortiori; nec non respiratione tardiori, sed simul placida magis atque profundiori observatis, quamvis Boerhaavius pulsum somno frequentiore esse contendit.

Omnes denique organorum quae secretionibus excretionibusque praesunt actiones maxime vigere, totiusque corporis calorem auctum esse, quod Martinus quidem negat, observationibus constat. Transpiratio et resorptio toto in corpore melius procedunt, vasis et exhalantibus et resorbentibus maiori vi agentibus; quo corpus facillime somno contagia, miasmata, aliaeque potentiae nocentes infestant, quae Lancisius iam clarissime probavit. Haec tam vasorum exhalantium quam resorbentium actiones omnino aequali vi, et quidem transpiratio ante et circa mediam noctem fortior esse, resorptio ante lucem maxime procedere videntur, ita ut matutino tempore corporis pondus fere idem remanserit.

Somni igitur corporis vires consumptas recreandi est finis, ipseque omnino optimam illius nutritionem efficit. Digestionem optime somno procedere saepissime observari licet; animalia ipsa per hiemem sopore sepulta, soporem hunc hiemalem pinguissima plerumque ineuntia, eodem peracto macerrima prodeunt. In iis igitur eodem modo reproductio, inprimis systematis lymphatici actiones, dum sopore tenentur, valde adauctae sunt. Item homines, per diem noctisque maximam partem, ac fere semper dorminetes,

pingues simulque segniores fiunt (si omnino pinguescendi praedispositio iis inest, sine qua ne vehementissimae quidem causae occasionales hominem pinguem faciunt), et contra, qui pervigilia, praecipue cum lucubrationibus excercent, macrescunt debilitatemque irritabilem quam dicunt (directam) contrahunt. Somno igitur modico corpus humanum utique indiget, et per breve tantum temporis spatium homo eum plane fugare potest; mox somno superabitur.

In morbis somnus placidus qui et vires reficit, semper optimum est signum, ipsumque valentissimum remedium, quodcunque medicus aegro comparare atque praebere possit. Ille enim non solum organismo aegroto potentias nocentes subducit, sed etiam systematis irritabilis nec non reproductivi actionibus auctis atque moderatis crises morbi salutares adducit, sique has perficere nequit, sensibilitatem nimiam minuens et roborans, saepiusque mala symptomata supervenientia interrumpens, aegroti saltem mitigat dolores molestiasque. Statu corporis morbo somnus quadantenus sanus, quacunque tempore supervenit, optimum est remedium morbique decrementi signum, idemque multo melius, quo propius noctem aeger naturali somno sopitur. Saepissime medicus iam morbum vincit, si aegro somnum placidum comparare scit atque potest.

Somnus omnino veram tantum praebet utilitatem, si, (exceptis quorundam hominum proprietatibus) corpore animoque per sedecim vel octodecim horas continue agentibus eaque causa ad partem irritabilitatis fereque plane sensibilitatis viribus consumptis, restau-

rationem homini impertit sufficientem. Somnus diurnus dum cibi digeruntur, qui tot placet hominibus, non est omnino laudandus; quamvis enim opus sit, ut homo, dum cibos concoquit, omnes tam animi quam corporis labores (si fieri potest) omittat, attamen non opus est, ut dormiat. Illum igitur pomeridianum somnum omnino reicio, nisi adsuetudinem, senectutem, magnamque debilitatem excipiam; hic enim somnus plus minus sanguinis ad caput exitat congestiones, encephalum prementes, quae sensim forsitan apoplexiae seminium producant, vel si adest augent. Si quis somno pomeridiano parum adsuetus, subinde huic indulget, expergefactus quandam quasi gravitatem corporis persentiscit, ac sensuum hebetudinem, doloribusque capitis ex congestionibus ortis laboret.

Somni causa proxima, ut supra iam dictum, systematis reproductivi actio adaucta sensibilitas vero depressa haberi potest, de qua tamen iam prius multa a medicis disputata sunt. Boerhaavius v. c. ventriculum cibis impletum, extensum, et per eum arteriae Aortae pressionem, qua, libera sanguinis circulatione impedita, congestiones ad caput oriuntur indeque somnus fieret, huius causam proximam habendam esse contendit; quae definitio nimis mechanica iam somni vigiliaeque vices naturales non declarat. Stuartius a spiritu animali seu vitali vasa sanguifera deficiente somnum oriri existimavit, chylum in digestionem sanguinem spissare, ideoque spirituum vitalium e sanguine secretionem fieri non posse, indeque somnum fieri ratus; cui definitioni idem quod

illi obiiciendum est. Stahlius naturalem animae organorum tensionis relaxationem somnum producere dixit; quae definitio theoriae, qua omnem actionem vitalem ab anima docuit exoriri ipsa, respondit, neque dubitaverunt permulti eius temporis physiologi, maxime Brittaunici a celeberrimi illius viri partibus stare. De Moar somni causam proximam, nimiam sanguinis copiam ad caput congestam proposuit, quae tamen causa statum morbosum neque naturalem exhibet; omitto enim, id vel maxime huic sententiae adversari, quod somnus et affectus soporosi haud raro a contraria causa, sanguinis videlicet inopia inducuntur, neque tamen duae unius morbi causae proximae simul adesse possunt. Niemeyerus somnum actiones tam animales et vitales, quam naturales ita restituere, ut omnes se invicem coërceant, sibi persuadet; quae sententia aliquo modo cum opinione quam de somni causa proxima proposui, congruit, non tamen tam clare videtur expressa. Actiones naturales somno, ut dixi, adauctae, vi qua agant nervorum egent; quam iis non tam cerebri nervi, quam potius nervi sympathici maximi in abdomine ganglia, imprimis plexus coeliacus (ganglion sic dictum solare) praebent, quae semper eo promptius actionibus funguntur, quo profundius motuum sensuumque tam internorum quam externorum nervi quiescunt quasque dormire videntur.

Ordinatae vero vigiliae somnique vicissitudines ut iam supra memoratum, luci imprimis obediunt. Causae somni sani occasionales sunt omnes, quae maiorem minoremve systematis sensibilis actionem effi-

ciunt, quod si vehementius incitatum est, vim vitalem propriam consumit, somnumque inducit; neque minus idem faciunt eae, quae systematis reproductivi actiones adaugent, cum, reproductione maxime agente, sensibilitas aliquo modo recedat.

Somnus ipse sensim sensimque motu musculari tardiori atque debiliori, postremo plane desinente, neque sensuum organis officiis suis fungentibus, hominem vincit. Primum scilicet omnis motus muscularis, imprimis musculorum partium extremarum, colli atque cervicis evanescere videtur; musculi dorsales diutius agunt. Deinde sensuum organa hebescent, imprimis oculus, qui saepius iam somnum desiderare videtur, cum aliae corporis partes strenue adhuc agunt; deinde gustatus, et post eum olfactus perit, auditus vero postremo evanescit, ipseque obdormiscenti et dormienti rerum externarum impressiones adducit. Anima tamen sensusque interni quodam modo agunt inter somnum, nec non cerebrum incitabilitatis quendam sibi servat gradum, quae post mediam noctem magis magisque increscit. Quae somnia, praecipue animae in somno imaginibus reminiscendique facultate, nec non ex parte tantum actione vitali recreata, excitata declarant. Haec plerumque diei imagines fingunt, saepius tamen mirabili modo evagantur. Quae ante mediam noctem oriuntur somnia, ex perfecta nondum assimilatione et nutritione orta, ab antiquis falsa; ea post mediam noctem, ante lucem ab aucta iam animi imaginandi-que vi exorta, vera habebantur, et his sacerdotes atque vates in praedictionibus usi sunt. Interdum

sed rarissime, animi facultas in dormientibus maxima observata est, cuius exempla virorum quorundam clarissimorum historia nobis tradidit, v. c. Caroli Magni, Petri Magni, aliorumque quorundam virorum doctorum, philosophorum, atque mathematicorum.

Inter homines maxime egent somno infantes, reproductione ipsaque nutritione apud eos, ut adolescent, eminentibus; infantes parum dormientes non increscunt, quin etiam macrescunt. Somnus ante mediam noctem corpus optime reficit, viribus tunc temporis valde confectis, actionibusque reproductivis maxime vigentibus. Qua causa somnum decima noctis hora incipientem, quintaque temporis matutini hora desinentem, omnino corpori saluberrimum puto, quamvis consuetudo, et quaedam corporis constitutiones, nec non adversa quaedam valetudo, longiorem vel breviorē natura conveniente permittunt.

Vigiliae denique somnique vices in animalibus tantum clarissime animadverti possunt; plantae enim eas haud clare ostendunt, ipseque foetus animalis planta non false nominari potest, quatenus in utero illas nondum exhibet vices, eiusque vita ad partum usque imperfecta fereque nil nisi somnus est continuus. Corpora anorganica, actione propria principioque vitae interno haud instructa, huius vicis ne simile quidem prae se ferunt. Tantum ubi sensibilitas et irritabilitas in uno perspicue coniunctae quasi-que reproductioni oppositae esse videntur, ibi illae somni vigiliaeque vices clarissime observantur.

Somnus quibusdam animalibus, Marmotis scilicet, Cricetis, vesperilionibus, aliisque proprius, est so-

por hiemalis, in quo systematis reproductivi actiones valde auctas esse, supra iam dixi. Huius soporis definitionem praetereo et tantum, vices naturae omnino proprias quamvis plane ut videtur inexplicabiles, hic mirabili modo singulas tantum animalium species spectantes, eius causas esse arbitror. A sanguine arteriarum cerebrum deficiente, somnum hunc hiemalem oriri quidam proferunt. —

II. Somni Pathologia.

Somnus est morbosus, si minus per eum vires corporis consumtae restituuntur, si ipse majus minusve corpori affert detrimentum, quin imo perniciem, multisque cum malis symptomatibus coniunctus, sive morbo quodam alienatus est. Morbis omnino nervosis iisque mentis constantiae perturbatae adnumerari potest, cum haec in somno morbosus praeter naturam vel plane deficiat, vel aliquo modo alienetur. Huius itaque somni omnino sunt causae, quae cerebrum nervosque officiunt; totius plerumque corporis morbi symptoma, modo periodicum, et tum morbus primarius, modo erraticum, modo continuum, semper autem corpori magis minusve damno esse videtur. Idem igitur fere semper e quadam systematis nervosi affectione exortus, morbus nervosus recte nominari potest. Mentis constantia, quae nulla hic adest, a nervorum systemate maximeque sensorio communi dependet; agentibus scilicet irritamentis externis corpus excitantibus, quibus res externas cum corpore comparare, illasque ab hoc clare discernere animae per-

permittitur. Haec omnia nervi perficiunt, qui, impressiones externas suscipientes, easdemque ad cerebrum perducentes huius reactionem excitant, hominemque sui conscium faciunt. Omnia igitur, quae illas nervorum facultates laedunt vel delent, sive quae cerebri reactionem impediunt, hominem sui nescium, illumque de quo dicimus somnum inducere possunt. Itaque sunt causae tam dynamicae, quam mechanicae; maxima totius corporis debilitas et irritabilis et torpida; incitabilitas nimis imminuta et suppressa, praecipueque ab inconsulto Narcoticorum usu orta; systematis nervorum actio inaequalis, turbata, ita ut his in partibus modum excedat, in illis omnino evanescat. Causae mechanicae sunt sanguinis congestiones ad cerebrum; vehementes capitis contusiones; Hydrocephalus internus, nec non hydropis ventriculorum cerebri stadium secundum; internae cranii superficiei exostoses.

Somni morborum diversae species, de quibus breviter disseram, a totius corporis morbo quodam affectu plerumque oriuntur, imprimis tali, quali systema nervorum primario afficitur; saepius igitur ex hypochondriaca nec non hysterica diatesi, ex incitabilitate tam aucta quam imminuta, magnaue sensibilitate cum debilitate coniuncta; saepissimeque alios morbos nervosos, et acutos et lentos, spasmos cuiusdam generis, febres nervosas, etc. comitantur nec non sequuntur. Interdum etiam ille somnus viscerum abdominalium morbi cuiusdam est symptoma vel sympathicum vel secundarium; interdum autem periodicus, ut praecipue cum febribus intermittenti-

bus comitatis, sive si morbus primarius est, hominem infestat. Aliorum plerumque quibuscum coniunctus est morborum typum sequitur.

Duo omnino somni morborum (non strictissime sic dicti) genera proponam; primum, quo somnus hominem praeter naturam infestat, conditione ac tempore, quibus homo virium restituendarum causa somno non eget; alterum, quod somnus stricte nominari nequit, cum hoc somnus naturalis, homine eodem egente, non adsit, potiusque pervigilia et his similia observentur. Utroque in genere de singulis quibusdam disseram speciebus, quae stricte sic dictae, somni status quidam nominari nequeunt; sed quia in iis intelligentia mentisque constantia magis minusve alienatae sunt, vel omnino non adsunt, homoque saepius dormientis imaginem exhibet, de iis hoc loco verba faciam. Primum genus alteri aliquo modo oppositum est, illud soporis, hoc status quosdam pervigilii exhibens. Singularum cuiusque generis specierum nil nisi pathologiam breviter delineabo.

Genus primum.

Huc affectus soporosi omnino sic dicti pertinent, quorum formae diversae modo a totius corporis morbis exoriuntur, modo autem morbi primarii proprii-que formam exhibent, eaeque saepius typum habent regularem. Symptomata communia verbo ipso declarantur, symptomata propria quaque in specie explicari debent. Quoad causas huius generis primi, sunt dispositio hypochondriaca et hysterica, nec non habitus apoplecticus; capitis laesiones, cerebrique

contusiones; sanguis, lympa, pus, aliique corporis humores in cerebrum effusi; Cephalaea chronica, imprimis cum illa praedispositione coniuncta; haemorrhagiae nimiae; Orgasmus sic dictus, sanguinis congestiones ad caput. Febres saepius hoc comitatur genus, febresque intermittentes comitatae proprias quasdam somni morborum formas exhibent, febrem scilicet intermittentem soporosa, apoplectica, synoptica; neque minus Encephalitem sequitur, et stadium hydropis ventriculorum cerebri secundum exhibet. Interdum affectus soporosi exanthemata acuta, praecipue Miliaria comitantur, tantummodo mali, si nulla exanthematis in cutem eruptio facta est. Omnino Prognosis mala, saltem dubia est, pessimaque in iis affectibus soporosis, qui morbos acutissimos, febres nervosas acutas, Encephalitem, cerebri hydropem, insultus apoplecticos, e. t. c. comitantur. Specierum, quas hic referam, eae, quae aliquo modo morbum per se atque decursum magis chronicum exhibent, periodicae, pertinacissimae, corporique mox magis minusve obnoxiae esse solent, quin etiam aegri vita interdum periclitatur; quo referam Epilepsiam, Catalepsiam, Apoplexiam imperfectam, nec non interdum Ecstasin, et deliquia animi. Harum specierum solae, quae semper decursum habent intermittentem, sunt Epilepsia et praecipue febris intermittens soporosa, apoplectica, quae pessima saepius iam primo insultu, certe tertio quartove aegrum tollit.

Generis primi has singulas species proponam.

Somnolentia.

Hoc statu homo sui nescius est, simulque cuiusdam profunde dormientis offert imaginem, varie mutatam, quo magis somnolentia Comatis, vel Lethargi, vel Cari formam exhibeat.

Coma infimus Somnolentiae est gradus, unde aeger incitamentis saepius excitari potest. Duae sunt Comatis formae, Coma vigil scilicet, ubi aeger in profundo quidem versatur sopore, ipse autem saepius sponte repenteque somno excutitur, in quem statim recidit; et Coma somnolentum, sopor profundus et continuus, quo aeger non excutitur, et quidem difficilius, sed tamen sane expergefieri potest; expergefactus statim in soporem recidit.

Lethargus facilius quidem aeger expergiscatur quam Coma somnolentum permittit, sed homo expergefactus sui nescius, sine mentis constantia et memoria, saepius in delirio perseverat.

Carus summus somnolentiae pessimusque gradus est, ex quo nunquam ne vehementissimis quidem incitamentis excitari potest aeger, sed in eo mortem obit. Hic exitus malus, et praecipue vehemens rhonchus, Carum semper comitans, hunc a Comate et Lethargo plane disiungit.

Apoplexia.

Sensorii communis actio plane perit, animi conscientia aegrotus omnino caret, motusque musculares sponte perficere nequit; sensus et externi et interni nullo modo agunt. Pulsus plerumque est plenus,

tardus, raro debilis; respiratio non affecta, nisi stertens; solaeque functiones reproductivae initio aliquo modo procedunt. Apoplexia incompleta minorem interdum mentis constantiae gradum, et modo hemiplegiae modo paralyseos formam exhibet; insultus apoplectici facillime redeunt, hominem necant. Apoplexiae symptomata omnino aliquo modo similia sunt iis, quae somno profundo observantur, et prodromi, lassitudo, oscitatio, pandiculatio alique saepius tam Apoplexiam, quam somnum antecedunt. De causis supra iam generatim dictum est.

Deliquium animi.

Hoc statu homo non solum mentis compos non est, omnemque sensibilitatem et motus musculares exercendi facultatem amittit, sed etiam actiones reproductivae magis minusve recedunt, summoque gradu plane evanescunt, sic ut homo, sane nondum extinctus, veram mortui imaginem exhibeat. Saepius curatio caute atque diligenter instituta illum morti eripit, vitamque resuscitare valet. Pulsus plerumque parvus, debilis, intermittens, myurus, vermicularis, summo gradu plane non sentiri potest; eodem modo cordis pulsus nec non respiratio se habent. Calor cutis ne tepidus quidem dici potest, sed omnes partes imprimis extremae, et facies pallidae frigidaeque animadvertuntur. Interdum prodromi, aegritudines variae, palpitationes cordis, vertigines, susurrus aurium, photopsia, omninoque coenaesthesia perturbata, animi deliquia antecedunt, sed saepe sine illis subito e. g. vehementissimam quamdam haemorrha-

giam, maximum terrorem, aliaque sequuntur. Deliquorum animi dispositionem offert Hysteria, corporis natura sensibilis simulque plethorica; totius organismi debilitas; sanguinis, seminis, lymphaeque excretiones nimiae; sensibilitas maxime adaucta, Idiosyncrasiae, cerebri affectus quidam morbosi. Imprimis autem in fabrica cordis ipsa vitia saepissime animi deliquia mortemque praematuram adferunt. Quorum denique sunt tres gradus magis minusve periculosi.

Lipothymia homines plerumque valde sensibiles causis occasionalibus levissimis facile invadit, citoque praeterit. In ea mentis constantia quaedam superest, et pulsus nec non respiratio tantum debiles, non plane intereunt. Symptoma omnino mere nervosum exhibere solet.

Syncope pertinacior ac peior, cum pulsu intermittente, vermiculari, respiratione minima, mentis constantia nec non omni actione reproductiva omnino deficientibus, observatur.

Asphyxia denique veram mortis imaginem exhibet, in quam quoque abit, nisi cura vel caute debilitanti vel apte excitanti, qualem hominis natura, causae occasionales aliaeque res externae constituunt, vita restitatur; cujus signa hoc statu nullo modo animadverti possunt. Asphyxiae causae sunt omnes, quae vim vitalem cito deprimunt; v. c. aër multorum hominum respiratione vel miasmatibus quibuscunque corruptus; gas carbonicum, hydrogenium, azoticum, hydrosulphuratum, si quodam modo inspirantur; suspendium, suffocatio, submersio et congelatio, aliae-

que, quae curationes ex parte singulares indicant. Optimum a morte vera Asphyxiam dignoscendi remedium, egomet ipse Galvanismum puto.

Catalepsis.

Haec plerumque periodice hominem excruciat, qui paroxysmo apparente subito mentis constantiam, omnem sensibilitatem, musculosque movendi facultatem amittit, et quidem mirabili modo sic, ut omnes tam corporis quam animi functiones eo perseverent, quo incipiente paroxysmo animadvertebantur, et post paroxysmum illinc continent omnes actiones, quo ante eum constiterant. Corporis ante paroxysmum quaecumque positio, in eo eadem persistit, nisi per alios mutatur; quod facile fieri potest, cum muscoli molles valdeque flexibiles hoc statu observentur, neque omni vi vitali careant, sed sponte tantum movendi facultatem perdiderint. Quamcunque partem flectas, quemcunque situm molestum hominis cataleptici corpori pares, illa pars et corpus paroxysmo sic persistent. Quae musculorum tractabilitas et mollities, flexibilitas cerea nominatur. Eadem ipsa cogitata atque colloquia per paroxysmum interrupta, post eum, aegro eius immemore, statim continuantur. Haec Catalepsis perfecta homines maxime sensibiles, et imprimis feminas hystericas infestat, sed omnino rarissime observatur; plerumque enim omnia non adsunt Catalepseos symptomata, et aliqua superest mentis constantia; hic status Catalepsin imperfectam exhibet.

Catochus, status Catalepsiae similis, ad affectus tetanodes aptius referri potest, quia in eo partes extremae rigidae, totumque corpus nullo modo flexibile animadvertuntur. Interdum Catalepsis et Catochus levior quandam inter se vicissitudinem iniisse dicuntur.

Ecstasis.

Mentis constantia facultasque sentiendi non adsunt, et homo profunde meditantis vel obstupefacti cuiusdam imaginem offert. Ecstasis ex animo debili atque fanatico, e continua pertinacissimaque de eadem re meditatione, imprimis in fanaticis, hypochondriacis et hystericis, oriri solet, omnino autem raro observatur. Eius paroxysmi non tam subito quam in Catalepsi hominem infestant, nec plerumque tam diu persistunt.

Epilepsia.

Morbus periodicus est, et intermissiones modo regulares modo irregulares exhibet, in quibus aeger bene se habet; in paroxymo ipso hic sui nescius est, et subito procumbens omnem sensibilitatem amittit. Simul cum his symptomatibus spasmi et convulsiones quae dicuntur epilepticae semper coniunctae sunt, aegrotusque spumas agit in os. Epilepsia plerumque stadia tria, stadium scilicet prodromorum cum aura quae dicitur epileptica, stadium convulsivum, et soporosum clare ostendit, ipsaque morbum per se gravissimum exhibet, qua de causa de ea hic amplius non disseram.

Genus secundum.

In hoc eos referam status, in quibus neque somnus nec vigilia clarissime observari videntur, sed mentis constantia alienata, saepius plane abolita est; quare de quibusdam huius generis specibus breviter disseram. Omnino igitur in hoc statu homo vel somno eget eumque vehementer optat, sed quibusdam hic irritamentis arcetur; vel somnus adest, sed inquietus, turbulentus, anxius. Illius causae sunt aliae corporis affectiones, sanguinis ad caput congestiones, imprimis autem sensibilitas cerebrique incltabilitas nimia, ut in febribus nervosis, in Encephalide, aliisque morbis. Quidam huius generis status, v. c. Incubus, somnia, noctambulatio, interdum a viscerum abdominalium morbis, praesertim obstructionibus atque infarctibus exoriuntur. Prognosis saepius mala eademque est morborum, quas affectiones, de quibus disseremus, comitantur. Specierum quaedam non sunt periculosae, sed longinquae organismo tandem magis minusve obsunt.

Huic generi has adnumero species.

Pervigilium.

Aeger vehementer dormire cupit, sed obdormiscere nequit; cerebrum enim atque nervi continenter tamque immodice irritantur, ut nullo modo somnus oriri possit, simulque mox mentis constantia evanescat. Pervigilium saepissime febres acutissimas, imprimis febrem nervosam versatilem, nec non phrenitidem comitatur. Initio morbi, gravem saltem mor-

bum indicat; stadio incrementi et acme febris symptoma non periculosum est, quia his in stadiis maximum febris irritamentum somnum impedit; sed irritamento febris remoto, et in eiusdem stadio decrementi et convalescentiae, pervigilium perseverans prognosin dat pessimam maximeque metuendum est, ne morbus recidivus fiat, vires consumantur, crisis impediatur, malaque oriantur deliria.

Est Agrypnia quaedam chronica, morbus fere proprius, ex magna cerebri debilitate chronica ortus, et pessimus, cum exeat tandem plerumque in soporem et Apoplexiam, et remediis quibuscunque rarissime sanari potest.

Delirium.

Hoc in morbis acutissimis, praecipue Encephalitide, Diaphragmitide, febribusque nervosis, pervigilium plerumque sequitur, idemque vel continens est, vel intermittit citoque praeterit; illud delirium phreniticum, hoc desipientia, seu Paraphrosyne nominatur. Aeger igitur dormire nequit, sed simul mentis eius constantia sic alienata est, ut instar insani vel furiosi se gerat et loquatur. Quoad symptomata delirium vel furiosum vel tranquilum esse observationibus constat; in delirio tranquillo aeger oculos claudens et murmurans, aliquo modo dormientis imaginem interdum exhibet, saepius tamen hoc cum Stupore in febribus nervosis coniunctum observatur. Delirium furiosum praecipue primum Encephalitidis stadium et Diaphragmitidem comitatur, et tunc aegri vis atque furor coer-

ceri vix possunt. Delirii omnino causae sunt imprimis nimia cerebri sensibilitas atque incitabilitas, sanguinis ad caput congestiones, pervigilium, animi affectus, vehementes omnis generis excretiones, nec non in tractu intestinum sordes. Sunt igitur deliria in universum symptomata mala, praecipue si morbi cuiusdam in stadio decrementi persistunt.

Stupor.

Aeger mentis compos non est, atque profunde meditantis, seu alicujus, qui oculos in rem quamdam continuo figit, imaginem refert, ac fere semper delirio tranquillo murmurat. Summo Stuporis gradu, Strabismus, Cataclasis, Mydriasis, ita ut aegrotus quasi attonitus esse videatur, nec non postremo pessima Symptomata nervosa, subsultus tendinum, convulsiones, affectiones spasticae, spasmus cynicus, tremor, crocidismus, aliaque superveniunt, quae mortem praesagiunt. Stupor plerumque febrem nervosam torpidam, nec non Encephalitidem occultam et Paraphrenitidem, rarius febres verminosas comitatur; et hoc casu interdum periodicum fuisse observationibus constat.

Somnium.

Somnium est in somno ipso vigilia partialis, imperfecta, sed omnino propius accedit ad somnum, quam ad vigiliam. Quod si oritur e Sensorii vi, ad partem modo per reproductionem somno recreata, (quod fieri solet post mediam noctem) vel et ex nimia systematis reproductivi actione (si v. c. non

multo ante somnum epulatus est) ante mediam noctem; somnium morbosum dici nequit, sed tantum, si nutritioni obest, propriisque irritamentis, vermibus, colluvie biliosa, in tractu intestinorum sordibus, nec non animi affectibus inducitur. Causis igitur remotis, somnia ipsa facillime plerumque curantur, raroque corpori detrimentum afferunt, nisi hominibus asthenicis, fanaticis, quibus sensibilitas modum excedit, somniaque quasi habitualia fiunt, quo casu totius corporis vegetationem imminuere, quin etiam deprimere possunt. Hominem sanum somniis non plane carere arbitror, quia animi vires, imprimis imaginandi facultas tantum suppressae, somno non omnino evanescunt, et aliquam semper exhibere debent actionem; sed statu hominis sano somnia tam mitia plerumque adsunt, ut somnus minime iis turbetur, neque homo expergefactus eorum reminiscatur.

Incubus.

Homo placide obdormiens, subito plerumque ante mediam noctem, maxima anxietate, Dyspnoea et Orthopnoea, respiratione celerrima atque frequentissimo pulsu affici solet, quem statum ab animali terribili, quod eum strangulet, et femina saepius a concubitu molestissimo viri cuiusdam immanissimi ortum, somno sibi fingit; qua causa nomen Incubi, Ephialtis huic malo inditum est. Homines clamare cupiunt, sed nequeunt; tandem summa anxietate, viribus confectis atque sudore profuso repente expergiscuntur; mox relecti post paroxysmum ad matutinum usque tempus quiete placideque dormiunt. Qui paro-

xysmi frequentius rariusque noctu hominem infestant. Incubus pro asthmatis quadam forma haberi potest, et saepissime hypochondriacos nec non hystericas excruciare solet. Causae sunt, ventriculus cordis dexter sanguine nimis impletus eaque causa circuitus sanguinis impeditus; sanguinis ad pectus congestiones; animi nervorumque irritamenta quaedam; viscerum abdominalium, imprimis ventriculi nimia impletio, pressio in diaphragma; et relq. Incubus raro malus, regimine atque diaeta ordinatis facile plerumque cavetur atque curatur.

Noctambulatio.

Haec somnii species, quasi somnium evidentissimum adspici potest, cum in ea non solum nervi, qui ad sensibilitatem proprie pertinent, sed etiam qui motus efficiunt musculares, maxime agant, sic ut homo omnes quas fieri iubet somnium actiones motusque, vere perficiat. Hic ante lucem e lecto surgit, ambulat, omnesque suscipit occupationes fere melius quam si vigilaret; expergefactus nil recordatur. Luna noctambulationis causam afferre dicebatur, quod aliquo modo non tam false, quam videatur, dictum fuisse arbitror. Ceterum sunt causae fere eadem quas Ephialtem et somnium excitare diximus.

Somnambulismus.

Hoc Somnambulismi statu non plane sui conscius est homo, attamen ipsa mentis constantia aliquo modo viget, motusque musculares fere sponte fiunt; homo perinde ac sui conscius esset, sed fanaticae plerumque loquitur, sensuumque impressiones alia in-

terdum via quam ipsis sensibus percipere posse videtur. Praecipue hoc statu corpus magnam aliis animalibus nec non metallis quibusdam sensibilitatem praebere dicitur; quae sensibilitas saepius tam ad-
aucta observata est, ut spasmi et convulsiones eam comitarentur. Somnambulismus rarissime morbus primarius apparet et exstat, et si quando fiat, eius causas nimiam sensibilitatem atque agilitatem, nec non systematis nervosi totiusque corporis debilitatem irritabilem, e qua sensibilitatis morbi facillime oriuntur, esse puto. In hominibus igitur sensibilibus simulque asthenicis, hypochondriacis et hystericis, Somnambulismum interdum morbum periodicum fuisse observationibus constat. Somnambulismum e Magnetismo animali exortum, aliaque symptomata exhibentem, recentiori tempore medici saepissime observarunt; de quo tamen hoc loco haud amplius disseram.

THESES DEFENDENDÆ.

1. Omnis reproductio a sola pendet nervorum vi.
2. Empiria rationalis in medicina praestantior est theoria.
3. Morbi omnino insanabiles, non sunt.
4. Medicus sincerus, optimus est.

VITAE CURRICULUM

EX DECRETO

GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE

BEROLINENSIS

ADJECTUM.

Ego Guilelmus Adolphus Gottel, die mensis Aprilis quarto a MDCCXCVII Stolpae Pomeraniae ulterioris oppido natus, duce patre optimo, medico practico eiusdemque oppidi physico, prima educatione gavisus primisque litterarum rudimentis institutus sum. Ab anno MDCCCI, patre post mortem matris carissimae Gedani artem medicam exercente, a domesticis magistris linguarum antiquarum aliarumque doctrinarum elementa accepi. Tribus post annis postquam pater diem iam supremum obierat, scholam St. Mariae frequentavi, et post aliquot annos Gymnasii academici, quod Jencoviae prope Gedanum floruit, curae traditus sum, ubi per quatuor annorum spatium optimorum magistrorum disciplinis interfui. Praecipue ibi Erud. Jachmann, Passow, Meinelcke, Besselt, viri Celeberrimi, artis mathematicae atque physicae, linguae latinae et graecae, nec non germanicae, aliarumque doctrinarum carissimi mihi fuere magistri, quibus hic ex animo gratias refero. Fatis belli postquam haec schola conciderat, per annum Collegium Friedericianum quod Regiomonti floret, frequentavi. Deinde in secundo contra Franco-

gallos bello stipendia feci indeque redux, a Gymnasio Gedanensi, direttore prof. Everbeck, sex post mensibus cum testimonio maturitatis dimissus, a. MDCCCXVI in civium almae huius litterarum sedis numerum rectore cel. Link, receptus sum. Per quod temporis spatium artis medicae nec minus philosophicis quibusdam studiis operam navavi, hisque interfui lectionibus academicis.

Ill. Knape de osteologia, splanchnologia; ill. Rudolphi de anatomia universa, et organorum sensuum, a quibus etiam viris arte cadavera dissecandi institutus sum; ill. Hermbstaedt de elementis chemiae; celeb. Turte de physice et chemia experimentalis; ill. Link de botanice et pharmacologia; celeb. Osann de physiologia tam generali quam speciali, nec non de materia medica; ill. Horn de pathologia speciali et morborum syphiliticorum therapia; ill. Wolfarth de semiotice et arte formulas medicas concinnandi; celeb. Fr. Hufeland de pathologia generali et therapia; Ill. Graefe de Chirurgia generali, ophthalmiatrie, deque cursu operationum; Ill. de Sieboldt de arte obstetricia tam theoretica quam practica; Ill. Berends de febrium et inflammationum internarum therapia speciali, nec non de materia medica practica. Per octodecim mensium spatium institutionibus practicis in Clinicis Ill. Berends, de Sieboldt, et Horn, interfui.

Tentamine et examine rigoroso rite peractis, spero fore, ut, dissertatione ac thesibus publice defensis, hodierno die summos Doctoris Medicinae et Chirurgiae honores adipiscar.